

Non sum nisi duo amores: ut merito dici possit, excedere Quenelli facinus, culpam Auctoris, qui ab Alexandro proscriptam propositionem recudit. Attento vel maxime, quod qui dicit quempiam carere Deo & religione, dicat cum carere fide & spe. Docet siquidem Aquinas nollet hinc virtutibus Deum certo modo apprehendi 1. 2. q. 62. ar. 4. c. Non potest in aliquid motus appetitivus tendere vel sperando vel amando, nisi quod est apprehensum sensu vel intellectu. Per fidem autem APPREHENDIT intellectus ea que sperat & amat. . . . Similiter autem ex hoc homo aliquid amat quod apprehendit illud ut bonum suum, per hoc autem quod homo ab aliquo sperat se bonum consequi posse, reputat ipsum, in quo spem habet, quoddam bonum suum; unde ex hoc ipso quod homo sperat de aliquo, procedit ad amandum ipsum &c.

LXXVIII. Licet ergo deficiat caritas, dummodo maneat fides, (quam non destrui per quodcumque mortale peccatum, velut de fide definitum est in Triden.) adhuc est in peccatore Deus per fidem. (1) Et quidam etiam esset religio, Deo debitum exhibens cultum, ad quem fides infigit? Fide plurimam hostiam Abel quam Cain obtulit Deo. . . . Fide qui vocatur Abraham obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hereditatem. . . . Fide obtulit Abraham Isaac. . . . Fide (Moyse) reliquit Aegyptum. . . . invisibilem enim tanquam visibilem sustinuit. Fide celebravit Pascha & sanguinis effusionem. . . . Et ne quis dicat in his omnibus non fuisse fidem solam: ecce Fide Rahab meretrix non perit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace. Et quid adhuc dicam? Deficit enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Iephta, David, Samuel & Prophetis. Qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam &c. En quot & quanta religionis opera adscribuntur fidei ab Apostolo Hebr. 11.

LXXIX. Concludamus tandem aliquando brevi totum dilemmate, forte Quenellum cum suo patrono suis ipsorum rebus includemus. Ille qui caritatem non habet, aut potest elicere actus religionis, aut non potest? Si potest: ergo manet religio ubi non est caritas. Si non potest: ergo non vivit ut christianus. Infero ulterius, ergo definit esse christianus: nempe juxta propositionem Quenell. 78. Separatur quis a populo electo. . . . tam non vivendo secundum Evangelium, quam non credendo Evangelio. Ergo ruit in caput tuum fulmen Tridentinum expressum Sess. 6. can. 28. Si quis dixerit. . . . eum qui fidem sine caritate habet, non esse Christianum, anathema sit.

LXXX. Superest respondeatur S. Augustini verbis quibusdam male intellectis, & applicatis ab Auctore Theol. Suppl. non tam, ut Quenellum catholicum, sed Augustinum, si posset, faciat Quenellistam. (2) Objicit 1. ex lib. de grat. & lib. arb. c. 18. Quidquid se putaverit homo facere bene, si fiat sine caritate, nullo modo fiat bene. Tantundem significat alter locus ex Epistola 140. alias 120. cap. 29. num. 70. Tunc recte, tunc iuste, tunc pie fit, cum opus bonum in ejus laudem fit, cuius gratia donatur ut fiat. Recte enim fieri aliquid iuste & pie; idem valet quod Bene fieri; Bene autem fieri aliquid opus, Augustino est opus beatificans esse; vide num. 73.: quod sine caritate fieri non posse, nullus catholicus negat. Idem habet resposum ad desumpta ex Epist. 167. ad Hieronymum, ex lib. 12. de Trin. c. 14. & ex lib. 12. de Civit. Dei cap. 3. Objicit deinde ex epist. alias 95. modo 197. voluit dicere, 177. Sola caritas non peccat. Sed nota, quod Augustinus ibi

caritatem opponat cupiditati: accipe verba num. 17. Quod si res ita se habet, ut per gratiam Salvatoris proficiamus quidem in hac vita, deficiente cupiditate, crescente caritate, perficiamus autem in illa vita cupiditate exstincta, caritate completa; profecto illud quod scriptum est, (3) Qui natus est ex Deo non peccat, secundum ipsam caritatem dictum est, que sola non peccat. Ad naturam quippe que ex Deo est, augenda & perficienda pertinet caritas, non ea que minuenda est & consumenda cupiditas: que tamen quamvis est in membris nostris, lego quadam sua repugnat legi mentis; sed natus ex Deo nec obediens desideris ejus, nec exhibens membra sua arma iniquitatis peccato, potest dicere, Jam non ego operor, illud, sed illud quod habitat in me peccatum. (4) Ubi manifeste non peccare tribuit caritati, ut contrapostitæ cupiditati, non ceteris virtutibus. Sane ex Augustino, ut notat S. Thomas, habemus eam virtutis definitionem: (5) Est bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur &c. non ergo, nisi ruspiter sibi ipsi contradicendo, dicere potuisset, solam caritatem, cum exclusione ceterarum virtutum, non peccare. Objicit deinde ex lib. 3. de Doctr. Christ. cap. 10. Non est fructus bonus, qui de caritatis radice non surgit; sed talia verba ibi frustra quaruntur. Habentur tamen lib. de Spirit. & litte. cap. 14. num. 26. verum pro Quenello arripri non possunt, nisi ab ignaro regularum bona critices: aut partis affectu in transferentur acto. Enimvero scopum Augustini, si, ut voluit dicta regula, diligenter attendimus, nihil hic pro Paschaio. Scopus fuit, uti habetur lib. 2. Retract. oppugnare hostes gratiæ Christi qua justificamur: in huac incubuit Augustinus: In quo libro, inquit, loc. cit. c. 37. quantum Deus adjuvit acriter disputavi, contra inimicos gratiæ Dei qua JUSTIFICATUR impius. Hunc scopum altera fere pagina manifestat: nominatim cap. illo 14. statim post initium dicens, Legem ex qua, Apostolus, neminem dixit JUSTIFICARI, non tantum in illis Sacramentis, qua habuerunt promissas figuras; verum etiam in illis operibus cultu intelligi, que, quis quis fecerit, JUSTE VIVIT. Et paulo ante verba nobis objecta: Apparet igitur littera vetustatem, si desit novitas spiritus, reos facere POTIUS. . . . quam liberare a peccato. Quando ergo postea dicit: Non enim fructus est bonus, qui de caritatis radice non surgit: per fructum bonum haud dubie intelligit, fructum justificationem adferentem, & liberantem a peccato: ceterum, quod sine caritate possit quis facere opus bonum, & iustum, in eodem libro sapius docet, ut, cum cap. 13. in fine dicit. Colligimus non JUSTIFICARI hominem preceptis bone vite, nisi per fidem Jesu Christi: hoc est, non lege operum, sed lege fidei: non littera, sed spiritu: non FACTORUM MERITIS, sed gratuita gratia. Et iterum verbis supra citatis: Legem, ex qua neminem dicit justificari, non tantum in illis Sacramentis. . . . verum etiam in illis operibus cultu intelligi, que, quisquis fecerit, JUSTE VIVIT. Ubi manifeste docet, iuste vivere cum qui facit legit opera: quamvis illa eadem, nisi de caritatis radice surgant, non valeant justificare. In vanum ergo ad illa Augustini verba recurritur pro Quenello: cui nec Deus, nec religio, nec opus bonum est sine caritate.

LXXXI. Superest Auctoritas S. Thomæ; sed hic vere ostendit Auctor ille, quod sit ad extremas angustias reductus: unde coactus est textum S. Thomæ turpiter truncare. Locum integrum adferam: sic simul in aperto erit, & fraus Theol. Suppl.

(1) Sess. 6. can. 28. (2) Pag. 136. (3) 1. Joan. 3. 9. (4) Rom. 7. v. 20. (5) 1. 2. qu. 55. art. 4.

Suppl. & damnatio horum articulorum Quenelli. Responso est ad 2. argum. art. 10. quæst. 100. Prima Secunda S. Thomæ, ubi ait: Dicendum, quod sub precepto caritatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde; ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum. Et ideo preceptum caritatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum. Hic sicut Theologia Supplex: sed pergit S. Thomæ: Sic ergo qui honorat parentes, tenetur ex caritate honorare; non ex vi hujus præcepti, quod est, Honora parentes; sed ex vi hujus præcepti, Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo. Et cum ista sint duo præcepta affirmativa, Nota, non obligantia ad semper, potest pro diversis temporibus obligare: & ita potest contingere, quod aliquis implens præceptum de honoratione parentum, non tunc transgrediar præceptum de ommissione modi caritatis. Videantur quoque dicta num. 73. & sequentibus.

REFLEXIO QUARTA.

LXXXII. Bona moraliter opera, fidem, spem, caritatem, inter se connexa esse, visum Quenello: imo hanc ultimam esse quasi cæterorum omnium basim & fundamentum, quo diruto cætera omnia collabebant, uti domus diruto fundamento, ex dictis hoc capite, satis, opinor, constat. Doctrinam hanc Ecclesiæ universa, qua per totum Orbem dispersa, qua adunata in Sacrosancto Concilio Tridentino, in Luthero, Calvino, Bajo, Janenio anathematizavit pridem. Ipsa quoque S. Facultas Theologica Parisiensis singulari censura, edita circa annum 1526. in Erasmo eandem perstrinxit. Hoc postremum adjicio, non, quod major mihi sit illius Facultatis, quam Ecclesiæ auctoritas; absit: sed ut videant Quenelli fautores, huic devoti, quantum ab avita suorum prædecessorum, & Ecclesiæ Gallicanæ traditione aberraverint. Hæc, inquam, famosissima facultas, in edita contra Erasmus censuram, ipsos Quenelli, hoc capite discussos errores; dudum nigro theta infamavit, modo, & verbis sequentibus. (1)

LXXXIII. Propositio prima Erasmi. Jacobi 2. Fides, qua frigit absque caritate, nec se profert, ubi res postulat, ne fides quidem est. tantum est inane fidei nomen. Huic quoad sensum similis est prop. 51. Quenelli. Fides justificat quando operatur: sed ipsa non operatur, nisi per caritatem.

Propositio secunda Erasmi. Jacobi 2. Fides & caritas natura conjunctissime sunt. & alterum ab altero divelli non potest: Et paulo post: Caritas fidei comes est individua. Huic affinis est prop. 52. Quenelli. Omnia salutis media continentur in fide. sed hæc fides non est absque amore & fiducia.

Prop. Erasmi 3. in Elencho. Certum est alteram alteri individuum esse comitem. Quenellus propositione 58. asserit: Nec Deus est nec religio, ubi non est caritas.

CENSURA FACULTATIS THEOL. PARIENSIS.

„ Hæ tres propositiones sunt hæreticæ, & sententiæ Apostolorum Pauli & Jacobi contrariæ. „ Paulus namque fidem sine caritate posse esse ostendit, cum inquit: Si habueris omnem fidem, ita ut montes transferas; caritatem autem non habeam, nihil sum. Jacobus etiam in cap. 2. „ in quo dicit, fidem sine operibus mortuam esse, appellat fidem simpliciter illam, que est sine operibus, dicens: Quid proderit frater, si quis dicat se fidem habere, opera autem non habeat? „ Serry Tom. V.

„ Unde patet quod fides absque caritate, aut bonis operibus appellanda est. „

Propositio quarta Erasmi: Joan. 3. Sola fides purificat corda, reddique idonea, quibus credantur celestis philosophia arcana. Huic non absumilis est 42. Quenell. Sola gratia Christi reddidit hominem aptum ad sacrificium fidei: sine hoc nihil nisi impuritas, nihil nisi indignitas Prop. 5. Erasmi: Joan. 8. Sola credulitas via est ad immortalitatem. Prop. 6. Erasmi: Lucæ 24. Quid exigit Christus a suis, nisi fidem? Liceat huic componere prop. 68. Quenelli: Bonitas Dei abbreviavit viam salutis, claudendo tamen in fide & precibus.

CENSURA FACULT. THEOL. PARIENSIS.

„ Tametsi requiritur fides ad assequendam beatam immortalitatem, & ad cordium purificationem; ut docent Sacre Litteræ; non tamen eam solam ad hoc requiri adstruunt; sed potius oppositum. Unde ait Jacobus Apostolus: „ Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum. Et Paulus: Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum; sed factores legis justificabuntur. (2) Quare propositiones cum hujusmodi exclusione positæ, Scripturis non consonant: que ubique bona opera prædicant. Et offendiculum eadem propositiones aptæ sunt præstare pusillis: quasi videlicet non sint fidelibus necessaria bona opera; sed sola fides sufficiat ad salutem. „

LXXXIV. Ex his paucis patet manifeste, qualem doctrinam fidelibus Quenellus obrudat. Illam scilicet ipsam, quam olim Ecclesiæ, & nominatim Universitatis Parisiensis Theologica Schola diris devovit. Ma&e igitur animo zelosissimi avitæ fidei defensores. Si olim displicuit Erasmi, Lutheri, Calvini, Baji, Janenii doctrina, non placeat modo eadem, a Quenello renovata quidem, & aliis verbis proposita, sed vaticanis fulminibus denuo protrita. Qui Quenelli doctrinam amplectuntur, Lutheri ac Calvinii errores, qui sanguineis rivis Germaniam & Galliam olim inundarunt, una resumunt.

C A P. VII.

De oratione impiorum & timore.

§. I.

Propositio Quenelliana, censura notata.

Oratio impiorum est novum peccatum: & quod Deus illis concedit est novum in eos iudicium. Est 59. Quenell. Joan. 10. v. 25.

Hanc propositionem, quæ pleraque a nobis dicta præcedenti capite confirmat, merito damnatam esse atque proscriptam, negabit nemo, si attenderit eam olim a Trid. (3) implicite fuisse anathematizatam. Si quis dixerit, opera omnia (ergo & orationem) que ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare, anathema sit. Sane si aliquo opere nos disponere ad justificationem possumus, orationi infimus locus dandus haud est. Ad Deum enim accedimus non passibus corporis, sed mentis affectibus; quorum interpres oratio est: & si Scripturis, ut par est, credimus: (4) Oratio humili-

T t 2

(1) Titul. 7. de Fide. (2) Rom. 2. (3) Sess. 4. can. 7. (4) Ecolli. 35. v. 21.

hiantis se nubes penetrabit, ligatque Altissimum : quod non solum de Justorum, sed humiliantium se peccatorum deprecatione intelligendum esse, clarissimo nos docet exemplo Ecclesiasticus idem cap. 48. v. 15. ubi, postquam de miraculis Eliae & Elisei quaedam dixisset, prosequitur: In omnibus istis non penituit populus, & non recesserunt a peccatis suis, usque dum eiectionis sunt de terra sua... & relicta est gens perpauca... Quidam ipsorum fecerunt quod placeret Deo: alii autem multa commiserunt peccata. Ezechias munivit civitatem suam... in diebus ipsius ascendit Sennacherib... Tunc mota sunt corda, & manus ipsorum: & doluerunt quasi parturientes mulieres. Et invocaverunt Dominum misericordem, & expandentes manus suas extulerunt ad caelum: & Sanctus Dominus Deus audivit cito vocem ipsorum. Non est commemoratus peccatorum illorum, neque dedit illos inimicis suis, sed purgavit eos in manu Isaiae Sancti Prophetae. Ecce peccatores exauditi, & quidem CITO. Infinitus fit si omnia hujus veritatis in Scriptura extrantia exempla velim adducere. Et porro nihil etiam, si superis placet, valitura forent, cum Auctor Theologiae supplicis unico quasi statu existimet se omnia in minutissimum pulverem redigere.

II. Ait enim (1), Indefinita apud Quaesnellum non legitur hujusmodi propositio, sed restricta certisque limitibus circumscripta. Nempe, cum de oratione aperte agat Quaesnellus, iniquo, maligno, arroganti, ingrati, fallaci animo facta (qualis erat Judaeorum ad Christum supplicatio, si tu es Christus dicito nobis) considerationem subjungit Auctor his verbis expressam: Talis oratio impiorum est novum peccatum: seu ut scribit gallice: Une telle priere est un nouveau peché. Id ergo scire Theologi avent, an ea tantum damnata sit propositio, ut est a delatoribus truncata ac mutilata? an ut est Quaesnellii libris inserta, nempe, talis impiorum oratio (iniquo scilicet, maligno, arroganti, ingrati, fallaci animo facta) est novum peccatum; & quod Deus illis concedit est novum in eos iudicium? Huc usque ille. Cum multa sint Quaesnelliani operis editiones, nullamque citet auctor ille, divinare nequeo, in qua, ista, editione legitur; & non omnes ad manum sunt. Sed supponamus, illa, ut adducuntur, haberi in aliqua editione, anno 1692. quo prima editio facta est, posteriore, nihil hoc juvaret Quaesnellum. Quippe Clemens XI. propositiones a se damnatas, asserit fideliter ex recensitis supra RESPECTIVE editionibus, videlicet anni 1692. 1694. & 1699. extractas. Quo fit, ut, si vel in una ex editionibus illis propositio ista, uti in Constitutione Unigenitus refertur & damnatur, reperta fuerit, immerito, immo, injuriose & calumniose dicatur, propositio Quaesnellii truncata ac mutilata. Nihil ergo proficit auctor ille, nisi intelligat & praetendat in nulla operis Quaesnelliani editione propositionem ita haberi, uti expressa est a Clemente.

III. Hoc si praetenderet, fidem tuam, exclamarem, O! quisquis opella illius, S. Sedi adeo injuriosae, auctor es. An legisti editionem latinam anno 1694. inchoatam, perfectam vero & prostantem anno 1695. Parisiis, & Lovanii apud Aegidium Denique? Si non legisti, temerarius es, qui Ecclesiam incufes truncationis & mutilationis. Si legisti, oratio tua superius descripta, iniquo, maligno, arroganti, ingrati, fallaci animo facta dignoscitur; meritoque tibi in peccatum imputatur. Sic enim lego in praedicta editione, Respon-

dit eis Jesus: (2) Loquor vobis, & non creditis: opera quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me. Homo christianus, ac praesertim minister Domini, operibus potius quam lingua loquatur oportet, ut Jesum Christum caput suum imitetur: ingratitudo, malignitas, duplicitas & insolentia petitionis eorum, omnino commerebantur, ut Jesum Christum ad complementum execrationis atque obdurationis eorum, luminis abundantiam, quod ad eum exitium postulabant, impertiretur... IMPIORUM ORATIO NOVUM EST PECCATUM; QUODQUE DEUS EIS IMPERTIT, NOVUM EIS IUDICIUM EST. Ubi hic illud tuum relativum TALIS ORATIO? Volve ac revolve editionem illam, nusquam illud deprehendes: sed si bene & attente inspicis deprehendes avulsum omnino a praecedentibus propositionem illam, atque per duo.. puncta sollicitate separatum; ne quis circa mentem auctoris errare possit.

Dubitabis, aut negabis forte etiam, translationem illam latinam fidelem esse, accuratam & exactam? Audi quid de ea judicaverit editionis censor & approbator.

#### APPROBATIO.

Tanta omnium approbatione &c.... Sed cum idem e gallico in latinam versum sit, meo quidem iudicio, versus sincera est, & litera simul cum spiritu translata.... Dabam Leodii hac 27 Junii 1694.

J. Le Beau S. Adalberti Leod. Curat. ind. Exam. Synod.

Si autem obstinate quispiam praetenderet illam versionem latinam minus esse fidelem, exhibenda ei foret propositio prout in edit. gall. anni 1693. extat. Sic ibi lego Joan. 10. v. 25. L'ingratitude, la malignité, la duplicité & l'insolence de leur caractère, méritoient bien que J. C. leur accordât, pour achever de les aveugler, & de les endurcir, la surabondance de lumière, qu'ils demandoient pour le perdre. La priere des impies est un nouveau peché, & ce que Dieu leur accorde, un nouveau jugement sur eux. Hic non dicitur une telle priere, talis oratio, ut vult Theol. suppl. sed simpliciter, la priere, Oratio. Illud quoque observa, quod sicut in versione latina haec propositio separatur a praecedentibus per duo.. puncta, ita hic per virgulam. Unde versio latina in hoc puncto est fidelissima & exactissima: nec potuit rationabiliter a Quaesnello ullius vitii intumulari. Ex his, cujus farinae sit Auctor Theol. supplicis colligere licet.

IV. Replicabis, in posterioribus editionibus adjectam particulam, relativam Talis, orationi. Si ita. Inde confirmatur iustissime damnatam propositionem, ut extabat in prioribus editionibus: quandoquidem ipsi Quaesnellii fautores, aut Quaesnellus ipse, non eam in posterioribus editionibus immutassent, nisi falsa & horrida, vel ipsis, visa fuisset. Sed quid juvat etiam illa immutatio, dum in opere damnato supersunt fundamenta, unde sponte sua fluit propositio, prout extabat in prioribus editionibus? Sic autem est, quod ex principiis a Quaesnello stabilitis, sequatur, omnem orationem, cujuscumque peccatoris, ante justificationem, novum peccatum esse; eumque, quanto fe magis disponere conatur, tanto pejorem fieri. Non lon-

ga

ga oratione opus est, ad hoc stabilendum; repetenda solum compendiose propositiones, superioribus §§. discussae. Oratio peccatoris nasci non potest, juxta Quaesnellum, nisi ex amore quo se ipse peccator diligit; qui malus est, juxta prop. 44.: nisi ex carnali cupiditate, quae omnes actiones ejus corrumpit, juxta prop. 45.: nisi ex cupiditate, quae ipsum sensum malum facit, juxta prop. 46.: cum non fluat ex fonte, idest caritate; unde non est nisi hypocrisis juxta prop. 47.: cum sine caritate non simus, nisi tenebrae, aberratio, peccatum, juxta prop. 48.: cum nullum opus sit bonum, sine amore Dei, juxta propositionem 49.: cum sola caritas christiano modo faciat actiones christianas juxta 53.: cum nec Deus sit nec religio, ubi non est caritas, juxta 58. propositionem. Cum autem certum sit, peccatorem, ante justificationem, caritatem non habere, sequitur, ex principiis Quaesnellii, quamcumque peccatoris orationem esse peccatum: assutumque in posterioribus particulam, Talis, contra mentem esse Quaesnellii; nec abstergere, sed quaedam tunc errorem tegere. Si ergo orat, peccat; si duplicat orationem, duplicat peccatum, si triplicat, triplicat: verbo, quanto magis & frequentius orat, tanto frequentius peccat, tanto deterior fit. Et talis dogmatistes etiamnum reperit patronos? Reperiat. Oportet haereses esse: interim repeto Sanctum Sacrosancti Concilii Tridentini canonem 7. Sess. 6. Si quis dixerit, opera omnia, quae ante justificationem sunt, quaecumque ratione fiant, vere esse peccata, vel odium Dei moveri; aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto cum gravius peccare, anathema sit.

V. Audiamus quoque quid Augustinus & Thomas de oratione sentierint. Et primus quidem ait: (1) Si fides deficit, oratio perit. Quis enim orat, quod non credit? Unde Apostolus Beatus.... ut ostenderet fidem fontem esse orationis, nec posse ire vitium, ubi caput aquae siccat, adjunxit atque ait: (2) Quomodo autem invocabunt in quem non crediderunt? Ergo ut oremus credamus, & ut ipsa non deficiat fides, qua oremus, oremus. Fides fundit orationem: sicut oratio fidei imperat firmitatem. Ibidem num. 2. De phariseo & publicano accepisti controversiam, audi sententiam: audisti superbum accusatorem, audisti REUM humilem; audi nunc judicem, Amen dico vobis, Veritas dicit, Deus dicit, Judex dicit. Amen dico vobis, descendit justificatus de templo publicanus, ille, magis quam illa phariseus. Hic video fontem orationis fidem esse; non caritatem. Tantum docet Angelicus, (3) dicens: Orationem vero peccatoris, ex bono naturae desiderio procedentem, Deus audit: non quasi ex justitia; quia peccator hoc non meretur; sed ex pura misericordia. Et in Resp. ad 3. Oratio immititur principaliter fidei: non quantum ad efficaciam merendi, quia sic immititur principaliter caritati: sed quantum ad efficaciam impetrandi: quia per fidem habet bono naturae omnipotentiae divinae, & misericordiae, ex quibus oratio impetrat quod petit.

#### §. II.

Propositio Quaesnelliana, censura novata.

Si solus supplicis timor animat penitentiam, quae haec est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem. Est 60. Quaesnell. Matr. 27. v. 5.

VI. Haec propositio ob adjectam astute parti-

culam, Solus, speciem aliquam veritatis videtur habere: immo, si Auctori Theologiae supplicis credimus, idem istam formam verbi docere videntur Patres & Sacra Synodi. Videamus an sermones ejus veritate nitantur. Primo adducit Gregorium Mag. ac si diceret, (4) Timor dum plus juste (justo) trepidabat, in desperationis foveam vergit. Sed hic textus, loquens de timore, qui plus justo trepidat, quid facit ad timorem qui movet ad, & animat penitentiam, quo de agit Quaesnelliana? Sane qui ex timore movetur ad penitentiam non plus justo, sed ut ratio recta dicitur, timet. Secundo adducit Bernardum dicentem: (5) Est timor inutilis, tristis, crudelis, qui veniam, quia non quaerit, non consequitur &c. Et hic textus extra chorum saltat. Nempe agit de timore qui veniam non quaerit: at Quaesnellus, de eo qui animat penitentiam. Porro: Nemo agit penitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam. (6) Sequitur etiam Angelus noster Aquinas 2. 2. q. 20. art. 1. ad 2. dicens: Ex timore Dei, vel ex horrore priorum peccatorum contingit desperatio; in quantum HIS BONIS aliquis male utitur, occasionem inde accipiens desperandi. At vero, haec Angelici sententia malet Quaesnellum. His bonis, inquit Thomas: timor ergo & orror priorum peccatorum bonus est. Igitur ad bonum per se inclinatur, non ad desperationem: quae si in timente reperitur, non erit effectus timoris, sed timentis vitium, qui timore male utitur; occasionem inde accipiens desperandi, quod ei ad salutem datum erat. At Quaesnelliana agit de eo, qui timore utitur ad penitentiam. Hoc non est male uti timore. Denique annectit Catechismum, Concilii Colonienfis auctoritate publicatum anno 1536. qui ait: Impius conceptio timore servilis ex metu supplicii, ATQUE IBI CONSISTENS in desperationem adigitur; quod videre est in Juda proditore. Utique sic est, nullus hoc negat: sed dignetur reflectere, Rogo & obtestor auctorem illum quisquis sit, Quaesnellum agere, non de impio; qui conceptio timore servili ex metu supplicii, ubi consistit, sed cujus timor animat penitentiam. Quid ergo commune habet Catechismus ille cum Quaesnelliana? Profecto, talia pro Quaesnello suo adherens Scriptor, ostendit verum esse Chiloni a Plinio attributum apophthegma, (7) Conitem aris alieni, atque litis, esse miseriam.

VII. Ex his factis apparet auctoritates inductas nihil facere ad propositionem Quaesnellii. Nempe hic agit de peccatore jam penitentiam agente, sed ex timore supplicii: illa de impio in conceptio timore consentiente, bono illo motu male utente, veniam non quaerente, plus justo trepidante, qui ex timore occasionem accipit desperandi: quae toto caelo sunt diversa, uti per se patet. Sed nondum apparet sufficienter virus Quaesnellianae propositionis. To Solus astute adjectum verum ejus sensum obmubilat; dum significare videtur, timorem supplicii, si voluntatem peccandi non excludat, nec spem veniae adjunctam habeat, ad desperationem ducere: atque si hoc solum vellet propositio, non estimarem eam differre a mox relatis SS. PP. & Conc. Colon. sententiis. Verum longe alia doctrina latet in hac propositione: quam, melius ut capiamus, breviter exponenda est propositio; quia de numero est earum quas Dialectici exponibiles vocant. Sic ergo exponenda venit: Si solus supplicii timor animat penitentiam (quod accidit quoties non animatur amore justitiae, seu caritate) haec est violenta & ducit ad desperationem; & quo haec penitentia magis est violenta, eo magis ducit.

(1) Serm. 116. de verb. Evang. Luc. 24. n. 1. (2) Rom. 10. v. 14. (3) 2. 2. q. 83. ar. 16. c. (4) Lib. 1. Moral. c. 36. alias 18. (5) Epist. 87. (6) De penit. dist. 1. c. Nemo. (7) Lib. 7. c. 32.

ducit ad desperationem. Expositionem hanc ex ipso desumo Quesnellii principii. Primo, Quesnellum per amorem iustitiae aliud nihil intelligere quam caritatem, patet ex propositione 44. Non sunt nisi duo amores, unde voluntates omnes & actiones nostrae nascuntur; amor Dei qui omnia diligit propter Deum, quemque Deus remuneratur (hic est absque dubio caritas) & amor quo nos ipsos & mundum diligimus; qui quoad ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus. Amor iustitiae non est amor quo nos & mundum diligimus; est ergo ipsissima caritas Quesnello. Secundo: Amore iustitiae, seu caritate poenitentiam non animante, non potest, juxta Quesnellum, peccator habere voluntatem non amplius peccandi, nec spem veniae concipere. Primum probatur ex prop. 61. Timor non nisi manum cohibet, cor autem tandem peccato adducitur, quamdiu ab amore iustitiae (idest caritate) non ducitur. Secundum probatur ex prop. 57. Totum deest peccatori, quando ei deest spes: non est spes in Deo, ubi non est amor Dei, idest caritas, uti supra probatum manet. Itaque, juxta Quesnellum peccator, ante caritatis adventum, corde adharet peccato, nec spem ullam veniae habet. Unde, si ponitur talis peccator aliquem poenitentiam agere, haec est violenta; utpote contra voluntatem peccatoris, ab eo qui merum incutit, expressa: & quo hec est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem; quia deficit ei spes, quae solum advenit cum caritate. De primo ergo ad ultimum, si supplicii timor solus (idest, sine caritate) animat poenitentiam, poenitentiam violenta est & ducit ad desperationem; & quo haec poenitentia magis est violenta, eo magis ducit ad desperationem. Frustra fit talis poenitentia, nec est actio christiana, nec christiano modo facta.

VIII. Hic est verus, naturalis & obivus sensus propositionis Quesnellii sexagesimae, prout extat in libro *Reflexionum Moralium*. Quantum haec abhorreant a Doctrina Catholica, nemo non videt. Si enim ita est, uti praetendit Quesnellus, dicere debemus, poenitentiam ex metu gehennae, aut consideratione turpitudinis peccati factam, facere hominem hypocritam & magis peccatorem; nisi addit caritas, quam Deus remuneratur, quam solum Deus audit, quae omnia diligit propter Deum, atque ad Deum & Christum refert: quod ablit, dicamus, nisi velimus Lutheranismum amplecti, deserta fide Romano-catholica. Sic olim inquitabat Lutherus apud Rosenfem: (1) Contritio quae paratur per discussionem, collectionem & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fedtatem, amissionem aeternae beatitudinis, & acquisitionem aeternae damnationis: haec contritio facit hypocritam, imo magis peccatorem. Et iterum: Primum, hoc nemo negabit; contritionem quantumlibet magnam, NISI ELIAT AMORE JUSTITIAE, & in caritate Dei, non est vera, sed simulata. Rursus: Omnia quae extra caritatem sunt, nihil, vana, & falsa sunt. At contritio per peccatorum collectionem parata, sine amore Dei & iustitiae, hoc est, sine corde contenti, de hac enim locutus sum: quare necessario sequitur, ut faciat, hypocritam, qui nec volenter, nec amantem contritio in corde suo. Denique: Ego enim hypocritam aliter desinare non possum, quam eum, qui per quod facit, non ex animo & sincero corde facit. Id Animum autem talem, & cor non dat natura, nec collectio peccatorum, sed sola caritas spiritus. Haec Lutherus Germaniae olim Deformator. Quam belle ista conveniant cum doctrina Quesnellii, ex

mox repetitis ejus propositionibus patet abunde; non inutiliter tamen addimus istam, quae est 47. Obedientia Legis profutere debet ex fonte, & hic fons est caritas... alioquin non est nisi hypocritae & falsa iustitia. Sic Quesnellus post Lutherum: quos sequatur qui voluerit.

IX. Interim nos adhaerebimus constantissime, propitio Namine, Concilio Tridentino, contra Lutherum; adeoque contra fidem ejus discipulum Quesnellum; ita statuenti. (1), Illam contritionem imperfectam, quae attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae & poenarum metu commuiter concipitur; si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniae (quod juxta Quesnellum, ut vidimus, fieri haud potest, nisi adveniat Dei caritas) declarat (S. Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata) non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; verum etiam Donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo poenitentia ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Poenitentiae, per se, ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Poenitentiae impetrandam disponit. Hoc enim timore utiliter concussi Nonivitate, ad Jonae praedicationem, plenam terroribus poenitentiam egerunt, & misericordiam a Domino impetrarunt. Quamobrem falso quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint, Sacramentum poenitentiae, absque bono motu suscipientium, gratiam conferre: quod nunquam Ecclesia Dei docuit, neque sensit: sed & falso docent, CONTRITIONEM (illam scilicet imperfectam) ESSE EXTORTAM ET COACTAM, NON LIBERAM ET VOLUNTARIAM. Nec contenta Sacrosancta Synodus, hoc simpliciter docuisse, quo magis a simili doctrina abstinere quicumque Catholici, adiecit hoc terribile fulmen, eadem Sessione can. 5. Si quis dixerit, eam contritionem, quae paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae; ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fedtatem, amissionem aeternae beatitudinis, & aeternae damnationis incursum, cum proposito melioris vitae, non esse verum & utilem dolorem; nec preparare ad gratiam: sed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem: Demum, illam esse dolorem COACTUM & non liberum ac voluntarium, ANATHEMA SIT.

X. Frustra ergo aliquis, ad excusandum Quesnellum, diceret: Theologos omnes docere, quod timor, dum in eo sinitur, in desperationem praecipitat; Id enim de timore omnino SOLO ac nudo, cui non modo nulla est admixta caritas, sed nec est admixta spes veniae, Theologi omnes intelligunt. Verba sunt Theol. suppl. (1): frustra, inquam, id dicitur: nam nullus est Theologus catholicus, qui asserat timorem sine caritate justificante, semper esse solum & nudum, sine spe & fiducia: nullus dicit timorem sine amore caritatis, causare solum poenitentiam violentam, ducentem in desperationem; eo fortius, quo timor est violentior. Haec tamen docuit Quesnellus: uti ex verbis ejus probatum manet: nihil vestitus ANATHEMA Tridentinum.

## §. III.

(1) In Confutatione assertionis Lutheranae, art. 6. (2) Sess. 14. cap. 4. (3) Pag. 61.

## §. III.

## Propositiones Quesnellianae, censura notata.

Timor non nisi manum cohibet, cor autem tandem peccato adducitur, quamdiu ab amore iustitiae non ducitur. Est 61. Quesnell. Lucae 20. v. 19. Qui a malo non abstinere, nisi timore poenae, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo. Est 62. Quesnell. Matt. 21. v. 46.

XI. Ut breviter nos ab his propositionibus expediamus, observandum primo: illum qui timore poenae a peccato abstinere, posse quandoque in se ipso interius habere voluntatem conditionatam peccandi, si nulla poena ex peccato immineret, aut timenda foret. Certum autem est apud omnes Theologos, talem hominem actualiter peccare. Hoc significant dicta illa SS. Patrum, quae magno numero, absque ullo fructu congestit Auctor Theologiae supplicis. (1) Augustinus, inquit, dicit lib. de natura & grat. cap. 57. Nondum liber, nec alienus a voluntate peccandi, sed in ipsa voluntate reus est, qui MALLET si fieri posset non esse quod timet; ut libere faciat quod OCCULTE DESIDERAT. Ecce voluntatem illam conditionatam: ibi: Mallet... Occulte desiderat. Epist. 145. nunc 144. ad Anastasium, ait Augustinus: num. 4. Inimicus iustitiae est, qui poena timore non peccat. Verum idem Augustinus paulo ante jam recitata verba aperius explicat didicimus illud suum, dicens: In ipsa voluntate reus est, qui vult facere quod non licet fieri; sed ideo non facit, quia impune non potest fieri. Haec omittit Theol. suppl. & simul quod agit de poena corporali: nam sequitur n. 5. Poena corporalis, est non a voluntate; tamen revocatur ab opere peccati: Ergo sermo hic est, de homine habente voluntatem conditionatam. Eodem modo S. Prosper, ibidem adductus, loquitur, Sententia 117. Eam Deus innocentiam probat, quam homo, non metu poenae, fit innocens, sed amore iustitiae. Nam qui timore non peccat, quamvis non nocet cui VULT NOCERE, sibi tamen plurimum nocet: & abstinere ab iniquo OPERE, sola tamen reus est VOLUNTATE. Manifeste loquitur Prosper de eo, qui timore poenae abstinere ab externo novero proximi, cui tamen VULT nocere: adeoque de habente conditionatam peccandi voluntatem. Quod autem necesse non sit, omnem hominem metu poenae a peccato abstinere, tali modo esse interne nocentem, declarat illa prima Properi verba: Eam Deus innocentiam probat, quam homo, non metu poenae, fit INNOCENS; sed &c. Supponit ergo quandoque fieri ut homo metu poenae fiat certo modo innocens, continendo se ab omni peccato, tam actus, quam voluntatis: licet talis innocentia non sit Deo undequaque probata; sicut alterius, qui amore iustitiae non peccat. At hoc directe etiam pugnat cum propositionibus Quesnellianis. Adducit etiam Gregorium dicentem: (2) Cum adhuc timore bona agit, a malo poenitus non recessit: quia eo ipso peccat quo PECCARE VELLE, si inulte posset. Id utique verum est, propter voluntatem illam conditionatam, qua peccare velle supponitur, si inulte posset. At non dicit Gregorius, aut ullus S. Pater, quod haec conditionata peccandi voluntas semper addit, quoties aliquis timore poenae peccatum vitat, aut bonum agit; ut dixit Quesnellus. Explicatio est S. Thomae, (3) qui ait Augustinum cap. 57. de nat. & grat. (qui primo

loco obicitur a Theol. suppl.) docere, quod timor potest habere annexam voluntatem peccandi. Et inde probat, quod timor servilis non est numerandus inter dona Spiritus Sancti, licet sit a Spiritu Sancto; quod ultimum docet quoque S. August. (4) Eodem ergo modo interpretanda veniunt alia S. Augustini & SS. Properi ejusdem discipuli, & Gregorii admiratoris, loca. Nec propterea inferre licet, timorem in se malum esse, quod compatiatur voluntatem peccandi: sicut nec fides, nec spes informes dicuntur mala, etsi talem etiam voluntatem non expellant. Ratio utrobique eadem est: quia nimirum voluntas illa peccandi non ex timore, nec ex fide aut spe oritur, sed aliunde; scilicet ex amore inordinato boni creati.

XII. Scio varios esse Theologos, qui sustineant, talem conditionatam peccandi voluntatem, adesse in peccatore, saltem secundum habitum, licet non semper secundum actum, quoadusque peccator amore iustitiae, id est caritate late dicta, imperfecta, non justificante per se, nec peccata remittente ducatur. Sed longissime id abest ab errore, quem in his propositionibus docet Quesnellus. Pro cuius intelligentia noto secundo, & repeto ex antedictis: Quod amor iustitiae Quesnello aliud sit nihil, quam charitas justificans, qua homo Deum propter se diligit, ac omnia in Deum refert. Hoc, praeterquam habeatur ex propositione 44. Non sunt nisi duo amores &c. praecedenti §. adducta, probari rursus potest hoc modo: Amor iustitiae, quem requirit Quesnellus ad excludendam omnem voluntatem peccandi, haud dubie non habetur absque divina gratia: At juxta ejusdem Paschalis propositionem 28. Prima gratia quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio; qua non habetur sine gratia sanctificante, & charitate &c. requirit igitur damnatus auctor, ad excludendam omnem peccandi voluntatem amorem iustitiae, id est, charitatem Dei, gratiamque sanctificantem. Sed quis, obsecro, Sanctus Pater, quis Theologus catholicus tale quid requirit? Huc atente, & sereno animo si attendere velit Auctor Theol. suppl. desinet timere, ne sub Quesnellii corio vapulare poterunt laudati Patres, ac boni quique recentis scholae magistri: clareque perspiciet una cum Quesnello rursus damnatos Lutherum & Calvinum, quorum primus apud Rosenfem: (5) Omnia enim quae extra caritatem sunt, nihil, vana, & falsa sunt. Secundus vero in Anidoto ad Sess. 6. Trid. cap. 25. Dei iudicio nihil est sincerum, nec probum, nisi quod ex perfecto ejus amore manat.

XIII. Quia vero etiam inducit S. Thomam 1. 2. q. 107. art. 1. (non 10.) ad 2. dicentem: Propter hoc lex verus dicitur cohibere manum non animam: quia qui timore poenae ab aliquo peccato abstinere, non simpliciter ejus voluntas a peccato recedit, SICUT recedit voluntas ejus, qui amore iustitiae abstinere a peccato: notandum, quod S. Thomas ibi loquatur comparative: SICUT, inquit, atque hoc verissimum est, quod non eodem modo recedat a peccato qui non peccat formidinis poenae, SICUT ille qui non peccat amore iustitiae; quippe amor iustitiae excludit per se voluntatem peccandi: timor poenae potest habere adjunctam peccandi voluntatem; atque ob hanc rationem negat S. Thomas timorem servilem esse donum Spiritus Sancti, uti n. praeced. dictum est: quamvis ibid. etiam doceat timorem servilem esse secundum substantiam suam bonum, & a Spiritu Sancto esse.

## XIV.

(1) Pag. 56. (2) Lib. 1. Moral. c. 26. alias 14. (3) 2. 2. qu. 19. a. 9. c. (4) De grat. & liber. arb. c. 18. (5) Confut. Assertionis Lut. art. 6.

XIV. Nec est omittendum S. T. loco nobis objecto (idem est de aliis PP.) loqui de timore poenarum corporalium hujus saeculi, vel a lege veteri comminatarum, quae solum infliguntur, propter opera externa: & ideo per se valet talis timor ad cohibendam manum. Hoc ita esse, patet ex ipso textu S. Thomae, qui ponens differentiam inter legem veterem ac novam: *Dicendum, ait, quod omnes differentia inter novam legem & veterem, accipiuntur secundum perfectum & imperfectum: Praecepta enim legis cujuscumque dantur de actibus, virtutum. Ad operanda autem virtutum opera, aliter inclinatur imperfecti, qui nondum habent virtutis habitum; & aliter illi, qui sunt per habitum virtutis perfecti. Illi autem qui nondum habent habitum virtutis, inclinatur ad agendum virtutis opera ex aliqua causa extrinseca, puta ex comminatione poenarum, vel ex promissione aliquarum extrinsecarum remuneracionum. Illi autem qui habent virtutem, inclinatur ad virtutis opera agenda, propter amorem virtutis, non propter aliquam poenam, aut remuneracionem extrinsecam. Deinde paucis interjectis, sequuntur verba objecta. Augustinus quoque Epist. 145. alias 144. ad Anastasium num. 5. clarius explicans quis sit ille timor, quem dicit nonnulli manum cohibere, ait: *Pena corporis, est non a voluntate, tamen revocat ab opere peccati. Nec facile quisquam est qui palam committat, quo illicitam & immundam percipiat voluptatem, si cruciatus vindictae certum est continuo sequentis. Quid autem haec ad timorem gehennae, quam fide tenemus paratam pro solo peccato voluntatis? An is minus est efficax ad excludendum omne id quod incurritur damnatio gehennae, quam sit poena temporalis, ad excludendum peccatum externum? Sed ut magis pateat immenso intervallo S. Thomam a Quaesnello abesse, en locum, ubi docet S. T. timorem fervilem etiam ad spem & amorem inducere. (1) *Dicendum. . . quod timor per se, & primo, respicit malum quod refugit, quod opponitur alicui magis amato; & sic per se timor nascitur ex amore. Secundario vero respicit ad id per quod provenit tale malum; & sic per accidens quodque timor inducit AMOREM, in quantum scilicet homo, qui timet puniri a Deo, servat mandata ejus; ( quae peccandi voluntatem, sedum actum vetant externum ) & sic incipit sperare, & spes introducit Amorem.***

XV. Praevertat S. Thomae Augustinus: (2) *Timor, inquiens, servus est caritatis. Ne possident diaboli cor tuum, praecedat servus in corde tuo, & servet Dominus venturam locum: fac vel timore poenae, si nondum potes amore justitiae. Item Serm. 14. de temp. Cum per timorem poenae bona vita retinetur; per bonam vitam bona conscientia comparatur; ut per bonam conscientiam nulla poena timeatur. Quapropter discat timere, qui non vult timere. Ne vero dicatur [ undique enim rimas quarunt ] non loqui Augustinum de timore servili, en tertium locum, quo occluditur huic evasioni spes omnis: (3) *Adhuc timor ille servilis est, castas quidem malorum, ut abstinere se a malis ( quibuscumque, sive externis, sive internis: mox enim sequitur ) Et abstinendo digni sint ad se admittere CHARITATEM: & alibi: [ 4 ] Sicut seta introducit filium, ita timor introducit charitatem. An dignus admittere charitatem, qui non nisi manum cohibet, cor autem peccato adductum habet?**

XVI. Haec sufficere possunt circa utramque propositionem: unus enim & idem inest eis sensus: quamvis secunda, ob interjectam vase particulam

*MSI*, aliquatenus sit involuta. Sed videantur ea quae §. immediate praecedenti circa TO SOLUS dicta sunt, & dissipabitur nebula omnis: patebitque clare, ly *MSI*, uti *SOLUS*, excludere principaliter charitatem justificantem: ita ut sensus naturalis & obvius hujus propositionis, ut extat in libro *Reflex. Moralium*, sit: *Qui a malo abstinere, nisi ex charitate justificante, illud committit in corde suo; jam est reus coram Deo.* Unde anathematizata pridem fuit haec prop. *Sess. 6. Trid. can. 8. Si quis dixerit gehenne metu. . . peccatum esse, aut peccatores peiores facere, Anathema sit.* Enimvero quod ipsam abstinere a malo, malum sit hominemque reum constituit coram Deo, nesci haud potest, nisi ex eo, quod mala quaedam radix in eam abstinere influat: at hic supponitur, aliud nihil in eam influere praeter timorem gehennae: hic ergo malus Quaesnello sit oportet: peccatoresque peiores facere necesse est, & quia in se malus, ac etiam qui mali, id est, illius abstinere, qua reus fit homo coram Deo, causa est. Hoc confirmatur ex propositione 67. *Timor servilis non sibi representat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injuriosum, intrahabilem.* Unde juxta regulas nostras 1. & 2. pag. 40. & 41. assignatas, justissime damnata. Id ipsum ulterius confirmatur §. sequenti.

## §. IV.

## Propositiones Quaesnellianae, censura notata.

*Baptizatus adhuc est sub lege sicut Judaeus, si legem non adimpleat, aut adimpleat solo timore.* Est 67. Quaesnell. 1. Rom. 6. v. 14. *Sub maledicto legis nunquam fit bonum; quia peccatur sive faciendo malum, sive illud non nisi ob timorem evitando.* Est 64. Quaesnell. Galat. 5. v. 18.

XVII. Auctor Theologiae supplicis (5) multis probat differentiam, ab omnibus Patribus ac Theologis agnitam, & in omnium libris extantem, veteris legis ac novae. Notum est omnibus illud Apostoli ad Rom. 8. *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore ( uti Judaei sub Moysse ) sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater: & similia plurima, quae obvia sunt in Bibliis: haec, inquam, palam sunt omnibus litteratis. Rursus constat ex Augustino, Serm. 3. de Agar, sano sensu dici posse, multos christianorum potius pertinere ad veterem legem; uti multi, sub veteri lege mortui, dicuntur pertinuisse ad legem novam: utique attento spiritu quo aguntur. Hoc ita explicat, loco citato; Augustinus. Interrogentur Christiani, si modo nulli sunt tales, CARNALITER sperantes de Domino, & propter hoc Domino servientes. Tales ad veterem Testamentum pertinent. Et lib. de nat. & grat. cap. 57. *Sub lege est, qui timore supplicii, quod Lex minatur, non amore justitiae se sentit abstinere ab opere peccati. . . in quantum quisque spiritus ducitur, non est sub lege.* Cui accinit S. Thomas [6] [ citatus in Theol. suppl. ] 1. 2. q. 107. a. 1. ad 2. & 3. & in comm. ad cap. 13. Joan. lect. 7. dicens: *Duplex est spiritus, scilicet veteris & novus. Veteris quidem est spiritus servitutis, novus autem spiritus amoris: ille generat servos, hic filios adoptionis. Haec libentissime admitto: solumque monitos velim lectores, ut attendant in secunda auctoritate Augustini distincte sermonem esse, de abstinente ab opere peccati, non etiam a voluntate peccati; idque**

idque ex timore supplicii; non qualiscumque, sed, *Quod Lex minatur, i. e. temporalis; infligendi ob solum peccatum externum: ut enim observat S. Thomas: [ 1 ] In nova lege prohibentur interiores motus animi, qui expressi in veteri lege non prohibebantur in omnibus; est aliquibus prohiberentur, in quibus tamen prohibendis poena non apponebatur.* In prima autem, nota, carnaliter.

XVIII. Quid ergo? An consentimus hic Quaesnello? Minime. Longissime distamus, prout mox ostendam, ubi, sub certa limitatione, prius pulchram illam doctrinam, quam hic adducit Auctor Theol. suppl. nobis vendicavero: siquae ostendero nihil me contra ipsius personam, aut sanam quam hinc inde habet doctrinam; sed contra ejus, ut mirissime dicam, hallucinationes habere. Dicit ergo, & nitidissime explicat, qualiter intelligi debeat differentia novam inter & veterem legem, jam jam assignata. En verba Auctoris: [ 2 ] *Haec vero duplicis Testamenti distinctio, duplicisque in altero regnantis ac dominantis spiritus differentia, timoris videlicet & amoris, ab Apostolo, ejusque filijs interpretibus toties inculcata ac predicata, non sic a Theologis intelligitur, quod nulla in veteri Testamento charitas esset, qua justus illius etatis ac Sancti ducerentur ac moverentur; ( gratiam non restringo ad justos ac sanctos in veteri lege, ut postea dicitur: ) nullusque vice versa in novo Testamento sit timor, quo praeccepta nunc aliqua secundum substantiam saltem impleri possent, & peccata pariter aliqua devitari: sed quod charitas ita propria novi Testamenti sit nova, propriusque character, ut & baptizatus, solo timore ductus, in Judaismo dicitur esse, secundum spiritum; est non ita secundum ritus Sacramentales & statum: timor quoque vicissim ita veteris Testamenti nota fuerit, ut ipse etiam circumcisus, si charitate tunc duceretur, in christianismo censeretur esse secundum spiritum; est non ita perinde secundum statum, ritusque Sacramentales. Haec omnia, sub inferta limitatione, lubens admitto: eoque lubentius, quod ex SS. Ecclesiae PP. ac DD. Augustino & Thoma, sint de prompta, dicente primo: ( 3 ) *Sicut in Sacramento veteris Testamenti vivebant quidam spirituales, ad novum scilicet testamentum, quod tunc occultabatur, occulte pertinentes; sic & nunc in Sacramento novi Testamenti, quod jam revelatum est, plerique vivunt animales; qui proficere SI NOLUNT ( uti haud dubie possent ) ad percipiendam quae sunt Dei, ad veteris testamentum pertinere. Dixi, uti haud dubie possent: nam ita se explicat August. ( 4 ) *Qui enim servare legem NON VULT, in potestate ejus est, si velit. Non enim dixit, non potuerunt, sed NOLUERUNT.* Hoc ergo, quod in eorum voluntate est, ut NOLUNT, peccatum est certe sine ulla necessitate. Secundum vero 1. 2. q. 107. a. 1. ad 3. ita scribit: *Dicendum, quod lex nova dicitur lex fidei, in quantum ejus PRINCIPALITAS consistit in ipsa gratia, quae interior datur creditibus, unde dicitur gratia fidei: habet autem SECUNDARIO aliqua facta & moralia & Sacramentalia: sed in bis non consistit PRINCIPALITAS legis novae, sicut PRINCIPALITAS veteris legis in eis consistebat. Illi autem qui in veteri Testamento Deo fuerunt accepti per fidem, secundum hoc ad novum Testamentum pertinebant. Non enim justificabantur nisi per fidem Christi, qui est auctor novi Testamenti. Unde & de Moysse dicit Apostolus ad Hebr. 11. quod majores divitias estimabat thesauro Aegyptiorum imperproperum Christi. Ubi notanda veniunt verba majusculis litteris expressa, quae statim in telum contra Quaesnellum convertemus.***

Serry Tom. V.

V v XX.

XIX. In illis ergo, ut dixi, fere consentio Auctori Theol. Supplicis: qui si existimat in illa disparitate legis veteris & novae totam vim Quaesnellianae thesisi consistere, turpissime hallucinatur. Non in illa disparitate, sed contra in paritate, quam propositio illa constituit, Judaeum inter & Baptizatum, timore ductum, totum virus, si bene video, consistit. *Baptizatus est. . . sicut Judaeus; si legem non implet, aut implet solo timore.* Et quomodo est Judaeus sub lege? Explicat hoc nobis propositiones 6. & 7. Quaesnellianae: In foderi Judaico Deus exigit fugam peccatorum, & implemendum legis a peccatore, RELINQUENDO ILLUM IN SUA IMPOTENTIA. In veteri foedere, Deus hominem relinquit EJUS PROPRIAE INFIRMITATI, imponendo ipsi suam legem: hoc est, unico dictum verbo, obligabat Deus hominem ad impossibile. Impossibile enim est, juxta Quaesnellum, fugere peccatum & implere legem sine gratia necessitante: ( quod probatum est cap. 5. §. 5. & 6. ) quam non habet homo relictus in sua impotentia, aut ejus propria infirmitati. Si ergo ita se habet homo baptizatus, qui legem non implet, aut implet solo timore; erit quoque iste obligatus ad impossibile: imo, uti secunda propositio hujus §. habet, erit constitutus ad peccandum, sub maledicto legis nunquam fit bonum: quia peccatur, sive faciendo malum, sive illud non nisi ob timorem evitando. Itaque juxta has duas propositiones; Baptizatus si legem non implet, aut implet solo timore, nunquam facit bonum: quia peccat sive faciendo malum, sive illud non nisi ob timorem evitando: hoc est talem baptizatum esse sub lege SICUT Judaeus. Haec adeo horrida sunt, ut operosa refutatione haud egeant: praesertim quod non dubitem quin Auctor Theol. Supplicis talem doctrinam execretur; & infra de hoc puncto iterato sumus aduri. Finio ergo hunc §. reflexione sequenti, videlicet: Non repugnare stabilitate ex Scripturis, & SS. Augustino & Thoma differentiae, Synagogam inter & Ecclesiam, quod licet Lex veteris in se vim non haberet conferendi gratiam, prout Sacramenta nostra habent; Deus tamen pro sua benignitate gratiae suae participes fecerit, etiam Judaeos, qua legem sibi datam implere possent. Et ratio est quam assignat S. Thomae verbis supra allatis: quia disparitas solum attenditur penes principalitatem, sive penes id quod praecipue relucebat & relucet in veteri & nova lege. Id autem in veteri erant minae & terrores, incutientes timorem: in nova, gratia & charitas, moventes ad justitiae amorem. Sed sicut illud quod est principale in nova lege, non excludit omnino timorem, cum Christus saepe timorem audientibus Verbum inculcerit, Luc. 12. v. 5. & alibi saepius; ita quoque principalitas timoris, qui erat character veteris legis, non excludat omnino gratiam. Sed de hoc mox plura.

## §. 5.

## Propositiones Quaesnellianae, censura notata.

*Qui vult Deo appropinquare non debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem sicut bestiae: sed per fidem & amorem sicut filii.* Est 66. Quaesnell. Hebr. 12. v. 20. *Timor servilis non sibi representat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injuriosum, intrahabilem.* Est 67. Quaesnell. Luc. 19. v. 21.

( 1 ) 1. 2. qu. 43. art. 1. ad 1. ( 2 ) Ser. 13. de verbis Apost. ( 3 ) Serm. 18. de verb. Dom. c. 12. ( 4 ) Refertur de poenit. dist. 2. c. 117. ( 5 ) Pag. 63. ( 6 ) Ibid.

( 1 ) 1. 2. qu. 107. a. 4. 1. ( 2 ) Pag. 64. in fine. ( 3 ) Lib. 1. de Bapt. cap. 15. ( 4 ) Lib. 2. de Actis cum Felice Manich. cap. 5.

XX. Dixit Clemens XI. in Bulla Unigenitus, librum Reflexionum Moralium non uno quidem aut altero, sed plurimis, gravissimisque, tum pridem damnatis, quam etiam nunc adveniens erroribus gravidum esse. Hujus posterioris generis mihi videtur esse propositio sexagesima sexta, Equis enim unquam ita desipuit, ut prohiberet infirmis medicum accedere; a Deo attractum, accedere; timore percussum, ad potentissimum confugere? Hæc tamen omnia simul vetat dicta Quæsnelliana. Qui vult Deo appropinquare, inquit, non debet ad ipsum venire CUM brutalibus passionibus. Non dicit, Brutalibus passionibus, sed cum brutalibus passionibus. Brutalibus passionibus certe non acceditur ad Deum, & coram te &c. Et quid tandem Paulum movit ut exclamaret, [4] Quis es Domine? Et: Quid me vis facere? Nonne subitus terror ac metus? Subito circumfusit eum lux de celo, & cadens in terram audivit vocem... Et tremens ac suspensus dixit: Domine quid me vis facere, Quid agis Paule! Nonne scis quod qui vult Deo appropinquare, non debet venire per timorem sicut bestia? Et tu fili prodige, quod nemo debet venire cum brutalibus passionibus neque adduci per instinctum naturalem? Hæc illis dicturus erat Quæsnellus: hæc modo inculcata vellet peccatoribus. Verum respondet illi incarnata Veritas. Matr. 9. Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. Euntes autem discite, quid est misericordiam volo, & non sacrificium? Non enim veni vocare justos, sed peccatores. Et cap. 23. Ve vobis Scriba & Pharisei: qui clauditis regnum caelorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introeuntes finitis intrare. Quod si expectandum foret, ad accedendum ad Deum, donec usque habeatur fides charitate formata, non jam peccatores, sed justis accedere possent: quod iis Evangelii verbis non coheret.

XXI. Auctor Theol. Suppl. (1) ad hanc propositionem ita perorat: Stultum profecto, ac etiam impium fuerit existimare, propositionem hanc secundum se totam, ac juxta integrum significatum fuisse a Clemente damnatam. Hujus rationem assignat verbis sequentibus. Sic enim, prosequitur, illius contradictoriam, ex Dialecticæ lege, statuisse ac demonstrasset: nempe: „ Qui vult Deo appropinquare, debet ad eum venire cum brutalibus passionibus: debet adduci per instinctum naturalem, aut per timorem, sicut bestia, non per fidem & amorem sicut filii: quo quid horrendum magis atque blasphemum? „ Insignem enim vero dialecticum! Scire velim ex ipso, an, si Aristotelmus dicit: Canis non latrat: Physicus vero: Canis latrat; hæc duæ propositiones sint contradictoriae? Negabit haud dubie: quia de alio & alio eane duo isti loqui noscuntur. Sic est in casu præfenti. Nam Auctor illius præfensæ contradictoriae per instinctum naturalem & timorem intelligere debet (si habere velit sensum stultum & impium) motus vere naturales, præcedentes nimirum omnem Spiritus Sancti impulsum, sive inhabitantis, sive moventis tantum: Quæsnellus vero intelligit omnes motus præcedentes impulsu Spiritus S. inhabitantis per fidem charitate formatam. Constat hoc ultimum, tum ex ipsi propositionis 66. verbis: sed per fidem & amorem SICUT FILII: tum ex eo quod juxta prop. Quæsnell. 51. Fides non operatur, nisi per charitatem: at vero in eo qui accedit fide ad Deum, fides haud dubie operatur: habet ergo adjunctam charitatem. Si ergo nullus potest appropinquare Deo, nisi veniat per fidem talem, sicut propositionis 66. erit: Qui vult Deo appropinquare non debet venire nisi per fidem charitate formatam, non per quoscunque alios motus hanc fidem præcedentes; quia illi sunt naturales, & bestis etiam conveniunt: quod falsum esse & erroneum, non negabit Auctor Theologiae supplicis.

XXII. Vera ergo contradictoria illius damna-

tæ, in sensu Quæsnelli, uti debet, acceptæ, erit hæc aut similibus aliqua: Qui vult Deo appropinquare non debet expectare donec habeat fidem charitate formatam: sed debet accedere quocumque modo potest, sive per fidem, timorem, spem, esse infirmus; esse se sentiat adhuc esse cum brutalibus passionibus. Hocne stultum est & impium? Immo est pium, est catholicum, est evangelicum. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, (2) inquit piissimus noster Samaritanus, & Ego reficiam vos. Attende quoque quid filium prodigum moverit ut accederet ad Patrem: (3) Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo! Surgam & ibo ad patrem meum, &c. dicam: Pater, peccavi in cælum, & coram te &c. Et quid tandem Paulum movit ut exclamaret, [4] Quis es Domine? Et: Quid me vis facere? Nonne subitus terror ac metus? Subito circumfusit eum lux de celo, & cadens in terram audivit vocem... Et tremens ac suspensus dixit: Domine quid me vis facere, Quid agis Paule! Nonne scis quod qui vult Deo appropinquare, non debet venire per timorem sicut bestia? Et tu fili prodige, quod nemo debet venire cum brutalibus passionibus neque adduci per instinctum naturalem? Hæc illis dicturus erat Quæsnellus: hæc modo inculcata vellet peccatoribus. Verum respondet illi incarnata Veritas. Matr. 9. Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. Euntes autem discite, quid est misericordiam volo, & non sacrificium? Non enim veni vocare justos, sed peccatores. Et cap. 23. Ve vobis Scriba & Pharisei: qui clauditis regnum caelorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introeuntes finitis intrare. Quod si expectandum foret, ad accedendum ad Deum, donec usque habeatur fides charitate formata, non jam peccatores, sed justis accedere possent: quod iis Evangelii verbis non coheret.

XXIII. Si autem huic primæ propositioni secundam adjiciamus, patebit fallax ratio, qua Quæsnellus movit ad sentiendum, quod non possimus Deo appropinquare per timorem, quodque omnia omnino timore fervilis in se ipso malus sit; sicque omnia, in qua insuist, inficiat; etiam ipsam a peccatis abstinendam. Timor fervilis, inquit, non sibi repræsentat Deum, nisi ut dominum durum, imperiosum, injustum, intratabilem. Scilicet, cum fervus ille nequam, qui minam suam repositam referebat in sudario, dicit: Timui enim te, quia homo austerus es, tibiis quod non posuisti, & metis quod non seminasti; [5] putavit Quæsnellus omnem omnino timorem, talem sibi Deum facere, austerum, durum, intratabilem, imperiosum, injustum: quod si verum foret, non posset esse malus timor fervilis: omnis: quia faceret ideas Deo prorsus indignas; imo blasphemias. Id autem sensisse Quæsnellum manifeste constat ex ipsa prop. damnata 67. his verbis concepta in versione latina [6] Reflexionum Moralium ad illum locum Lucæ 19. Nullam de Deo ideam format charitas, qua digna non sit ejus bonitate atque misericordia: estque parata semper in ipso sperare, atque ipsi laborare. Timor fervilis tantummodo eum sibi repræsentat ut Dominum durum &c. ut propriam regat invidiam, ut libere contra ipsum murmuret, & contra ejus justitiam sese tueatur.

XXIV. Cum autem arbor mala non possit bonos fructus facere, inde sequitur omne id, cujus timor hic causa est, ac in quod insuist, malum esse. Ipsum ergo abstinere a peccato, fugere occasiones peccati, & quicquid sit ex timore fervilli, peccatum est, peccatoremque peiorem facit, tantum abest, ut ad justificationem disponat: nisi velit

(1) Pag. 70. (2) Matr. 11. (3) Luc. 19. (4) Act. c. 9. (5) Luc. 19. v. 21. (6) Ed. 1793.

velit Quæsnellus, hominem actu peccando disponi ad justificationem; quod absurdissimum esse, nemo negabit. Hæc doctrina facit peccatorem perplexum: sive enim faciat malum, sive abtineat ex timore fervilli, nunquam bene operabitur, sed semper peccabit. Fatus hoc est Quæsnellus, de homine sub maledicto legis constituto, propositione 6. sed necessario ex ejus principiis idem sequitur de peccatore, sub lege evangelica constituto: nec ullam rationabilem disparitatem assignare poterit quisquam, suppositis Quæsnelli principiis, inter unum aut alium hominem; præsertim cum juxta ipsius prop. 63. Baptizatus adhuc sit sub lege SICUT JUDEUS, si legem non impleat, aut impleat solo timore. De utroque ergo eodem modo philosophandum est.

XXV. Hæc operæ refutare operæ pretium non est, cum cuilibet Theologo catholico, similia directe opponi Tridentino, notum sit. Legatur cap. 6. Sessiois 6. Item canon. 8. ejusdem sessionis, videbitur nedum hæc doctrina anathematizata; sed insuper turpiter Quæsnellum errasse, saltando de ideis Dei bonitate atque misericordia dignis, ad ideam in Deum blasphemias: cum Trid. cap. 4. aliam ideam assignet, puta, divinam justitiam punientem peccata: eam in nobis excitare timorem fervilem aserit S. Thomas 2. 2. q. 19. a. 1. ad 2. bonumque huic esse, quantum ad substantiam, uti docet ibidem a. 4. c. quid vetat?

REFLEXIO QUINTA.

XXVI. Quæ hæc usque dicta sunt, abunde ostendunt Quæsnellum in articulo sextum Lutheri, a Leone X. primum, tum etiam a Tridentino damnatum, lapsus esse: [1] Contritionem quæ paratur per ponderationem amissionis æternæ beatitudinis, & acquisitionis pœnæ æternæ, hominem facere hypocritam & magis peccatorem. Hanc doctrinam quæ sequatur pernicies, satis, me tacente, unusquisque colligere poterit. Quid aget peccator charitate Dei privatus? Perseverabit in peccatis? Abtinebit, ne aggravet sibi damnationem? Utrumvis faciat peior sit, deterior evadit. Hæc ergo doctrina instructi simplices, & scrupulosi exanimabuntur; ut ne tentent quidem resurgere: liberioris vero vitæ homines, delicias & voluptatibus dediti, quos sua vitia alioquin plus satis delectant, quid fraudamus nos, inquit, cupitis voluptatibus? cur iniqui esse volumus in nos ipsos, affigendo nos ante tempus; præsertim cum nihil nobis studium nostrum profuturum sit, nec assequi possimus viribus quibus instructi sumus, ut redeamus in ipsius gratiam? Expectabimus, donec Deus instillet nobis vivum charitatis ac fidei sensum: equidem peccamus abstinendo ex timore, amore proprio &c. Itaque laxemus habenas concupiscentiæ nostris: Deo æque facile est liberare nos commissionis, & omissionis peccatis. Orabimur ut charitatem suam infundat nobis? Sed oratio nostra novum esse peccatum, quodque Deus nobis orantibus concedet, novum erit in nos judicium.

XXVII. Quid ergo impedit eos ne manibus & pedibus sibi accessant mortem, æternamque damnationem aggravent dicentes: [2] Exiguum est cum tedio est tempus vite nostræ... Venite ergo fruamur bonis, que sunt, & utamur creatura tantquam in juvenute celeriter. Vno pretioso & urgentis nos impetamus, & non prætereant nos stus temporis. Coronemus nos vobis antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria non

Serry Tom. V.

(1) Sess. 14. de Sacr. Pœnit. can. 5. (2) Sap. 2. v. 1.

Sera. Nemo nostrum sit exors luxurie nostræ: ubi que relinquamus signa levitæ: quoniam hæc est fors. Hæc & similia alia, prout cuilibet suggeret sua passio, fructus sunt, quos ex Quæsnelli doctrina expectare possumus, dicente Augustino alibi: Desperatio in peccatis perdere se putat, si quid non fecerit, quod instigat libido: ut merito de Quæsnelli hac doctrina dici posse videatur, quod quidam gallus poeta de laxiori morali olim scripsit; esse, scilicet

La plus affreuse & terrible moral,  
Que Lucifer assis dans sa chaire infernal,  
Vomissant contre Dieu ses horribles sermons  
At jamais enseigné aux novices Demons.  
Quod latine sic fere sonat

Quæsnelli moralis, est lex infernalis  
Lucifer novitios, qualem docet Demons.  
Hæc, inquam, meritisque Quæsnellianis Moralibus reflexionibus, quæ non nisi desperationem generant, aptari valent.

XXVIII. Ut vero clarius pateat, quantum Quæsnellus hic a S. Augustino recedat, quasdam sententias, ex indice novissimæ operum ejus editionis attexere, visum est non inutile, cum suis citationibus. Prior numerus Tomum, secundus columnam, littera alphabeti locum columnæ indicat. Timor pœnæ non est malus. Tom. 5. 778. lit. f. Timor gehennæ bonus est & utilis, licet non sit castus, 4. Tomo. 1441. b. Timorem utilem Deus infert 2. p. 3. Tomi. 830. g. Timor utiliter adhibetur ad impediendum ne male fiat. 2. T. 112. d. Timor pœnæ ducit ad amorem justitiæ 2. p. 3. Tomi 575. d. Timor pellit consuetudinem malorum operum, & servat caritati locum. 2. Tomo 439. a. Cum per timorem continent se a peccato, fit consuetudo justitiæ: incipit quod durum erat amari. 4. Tomo. 1697. f. Fac, fac vel timore pœnæ, si nondum potes amare justitiæ: veniet Domina, servus abscedet. 5. Tomo 756. e. Timor Dei primus ad sapientiam gradus 1. p. 3. Tomi. 22. a. 5. Tomo 1340. f. & seq. Sicut meliores sunt quos dirigit amor, ita plures sunt, quos corrigit timor. 2. Tomo 651. g. Timor pædagogus sit, non in te remaneat, sed te ad caritatem, quasi ad magistrum perducat. 5. Tomo 1348. c. Timor pœnæ, quidam cultus, & quasi pædagogus est legis. 5. Tom. 779. a. custodiatur te, & perducat ad dilectionem. Ibidem. Timor quasi locum preparat caritati 62. p. Tomi 3. 888. b. Timor pœnæ servus est caritatis 5. Tom. 756. c. Ne possideat diabolus cor tuum, præcedat servus in corde tuo, & servet Dominæ venturæ locum. Ibidem. Timor medicamentum, caritas fanitas 2. parte Tomi 3. 888. g. Caritas foras mittit timorem; sed timorem temporalium malorum, non divini sine judicii. 6. Tomo 360. c. Timorem fervilem foras mittit caritas 2. Tom. 441. b. Timore pietas inchoatur, caritate perficitur. 1. Tomo. 758. a. Quod autem alibi inimicum justitiæ dicat, qui pœnæ timore non peccat, intelligendum est, de eo qui sic abtinet ab opere peccati, ut interius fervet conditionatam peccandi voluntatem, quæ communiter comitari solet timorem pœnarum ab homine instigandarum, ob solum delictum externum. Hinc SS. Patres, de hoc timore loquentes, sæpe asserunt, timorem manum cohibere, non animum: inimicum esse justitiæ, qui pœnæ timore non peccat; & multa similia, quæ Quæsnelliani avidè arripentes, pro Patriarcha suo, & nominis sui auctore, in Romano-catholicos, imbelli ictu, torquent; sed ab his nullo negotio, id est, præmissa adhibita explicatione, sano & vero sensu exponuntur. Non

V v 2 enim

enim duæ solammodo sunt timoris species, ut quidam altius infirmant; sed usque ad quatuor enumerat S. Thomas 2. 2. q. 19. a. 2. filialem, initialem, servilem, & mundanum. Filialis & initialis semper bonus; mundanus semper malus; servilis secundum substantiam bonus, aliquando malam servilitatem adjunctam habet.

## C A P U T VIII.

De discrimine antiqui, &amp; novi fœderis.

## §. I.

Propositiones Quesnellianæ, censura notatæ.

*Discrimen inter fœdus Judaicum & Christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccatorum & implementum legis a peccatore, relinquendo illum in sua impotentia: in isto vero Deus peccatori dat quod jubet, illum sua gratia purificando. Est. 6. Quesnell. Rom. 11. v. 27.*

*Que utilitas pro homine in veteri fœdore, in quo Deus illum reliquit ejus propriis infirmitatibus, imponendo ipsi suam legem? Que vero felicitas non est, admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat quod petit a nobis? Est. 7. Quesnell. Hebr. 8. v. 7.*

I. Sunt qui reflectant, ut alibi dictum, nullam esse hæresim, quæ in male efformatam Dei ideam, citius aut serius, non impeggerit. Id Quesnellus etiam accidisse ex his propositionibus apparere potest: quæ Deum nobis repræsentant durum, injustum, barbarum; exigentem scilicet ab homine id, quod implere non potest. Hoc tanto plus mirandum, quod Augustinus; cujus se Quesnelliani ad ravim discipulos clamant; existimaverit fieri non posse, ut ullus catholicus tale quid de Deo auderet cogitare: (1) *Quis catholicus, inquit, dicat, quod nos dicere jactitant, (Pelagiani) Spiritum Sanctum adiutorem virtutis in veteri testamento non fuisse?* (2) *Rursus: Magnam aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt: Non juberet Deus quod sciret non posse, se ab homine fieri. "Quis hoc nesciat? Ecce tamen Quesnellus audet hoc negare, docendo Deum in veteri Lege reliquisse homines in sua impotentia, imponendo eis nihilominus suam legem.* (3) *Non ergo legit Lib. de fide contra Manicheos: Quis enim non clamat stultum esse, præcepta dare ei, cui liberum non est quod præcipitur facere; & iniquum esse eum damnare, cui non sunt potestas iusta complere? Et has injustitias, & iniquitates, miseri, Quesnellistæ, non intelligunt Deo se ascribere! Dicentur hæc non esse Augustini, sed Evodii? At virtute idem sonant verba Augustini mox recitata. Et quid dicent ad hæc & similia Scripturæ verba. Levit. 18. 5. Custodite leges meas, atque judicia, quæ faciens homo, vivet in eis? Forte ironiam hic fingunt? Sed ea est Lutheri ad similem locum blasphemia: istam particulam intelligo per ironiam: apud Richardum Smith callidior doctrina pag. 548.*

II. Certe plurimos fuisse veteris legis tempore, qui mandata servaverint, omnemque servare illa potuisse, indicant sequentia, ut innumera alia prætermittam, *Eccli. 2. v. 11. Respice filii nationes hominum, scitate, quia nullus speravit in Domino, & confusus est. v. 12. Quis enim permansit in mandatis ejus, & derelictus est? Aut quis invocavit eum, & despexit illum? v. 13. Quoniam*

*pius & misericors est, & remittit in die tribulationis peccata: & protector est omnibus inquirentibus eum in veritate. Sed quid illi impietati refutanda immoror? Sancta & salubris cogitatio astimata fuit, etiam in veteri testamento, laudante Scripturam, pro defunctis, non SS. Patribus solum, sed iis qui in prælio ceciderant, & apud quos reperta fuerant donaria idolorum, a quibus lex prohibebat Judæos, exorare, ut a peccatis solverentur. (4) Aut ergo illi potuerunt penitere de peccatis ante mortem, ex solis nature viribus: aut saluari potuerunt sine penitentia: aut credebatur tum etiam, quod licet Lex ipsa gratiam non daret, Deus tamen pro sua benignitate eam conferret, quantum necesse erat ad illam partem (quidni & alias?) legis observandam? Duo prima obique hæresi dici non possunt: restat ergo tertium. Atque hoc est quod verbis formalibus docet Sanctus Thomas: (5) *Diendum, quod quamvis lex veteris non sufficeret ad salvandum homines; tamen aderat aliud auxilium a Deo hominibus, simul cum lege, per quod salvari poterant: scilicet, fides mediatorum, per quam justificati sunt antiqui Patres, sicut etiam nos justificamur: & sic Deus non desiciebat hominibus, quibus daret eis salutis auxilia.**

III. Hinc corrumpunt omnia illa, sive ex Scriptura, sive ex Augustino, sive ex Angelico, inutili labore, ab auctore Theol. suppl. (6) coarctata testimonia, quibus probari potest, Legem veterem, se ipsa quidem spectatam, ac secundum spiritum illius proprium, ac veluti caerasticum, Neminem justificasse, nihil ad perfectum adduxisse &c. "Quid enim omnia illa ad damnatas Quesnellis? Propositiones illæ nedum agunt de Lege in se spectata, sed de FOEDERE JUDAICO, DE VETERI FOEDERE, quod latius patet quam sola Lex vetus. Qui enim dicit, in veteri fœdere relinquebatur homo in sua impotentia, in sua infirmitate, negat hominem ex quocumque capite, in statu illo gratiam accepisse. Qui vero solum dicit: Legem veterem gratiam non contulisse, minime negat quin ex alio capite potuerint. Unde SS. Augustinus & Thomas, licet dicant Legem veterem gratiam non dedisse: fatentur tamen Judæos gratiam habuisse. In veteri ergo fœdere gratia dabatur, sed non vi legis; nec in tanta abundantia quam in novo fœdere, vi etiam ipsius legis novæ, datur. Hoc indicare voluit S. Thom. dum loco in Theol. suppl. citato, ait: (7) *Oportuit quod homo sibi relinqueretur in statu veteris legis, ut in peccatum cadendo, suam infirmitatem cognoscens, recognosceret se gratia indigere: hunc enim sensum indicant, tum quæritum articuli: An lex nova debuisset dari a principio mundi: tum quod initio corp. hanc primam adferat rationem, cur ita non deberet fieri: Quia lex nova PRINCIPALITER est gratia Spiritus, quæ ABUNDANTER dari non debuit, antequam impedimentum peccati ab humano genere tolleretur, consummata redemptione per Christum: unde dicitur: Nondum erat spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus. Tandem, quia in verbis num. preced. citatis admittit S. Thomas adfuisse hominibus auxilium a Deo, simul cum lege, per quod salvari poterant: quamquam lex ipsa vetus ex se non sufficeret ad salvandum. (8) Neque illud inutiliter in memoriam revocabitur quod supra cap. 7. num. 18. dictum est: nimirum, timorem & amorem esse notas caracteristicas veteris & novi testamenti: non quidem abso-*

absolute, sed attenda utriusque testamenti conditione PRINCIPALI: id est, Principale veteris, timorem: novi, amorem esse. Sed sicut amor novi non excludit timorem; ita timor veteris necesse non est excludat amorem & gratiam.

IV. Addamus & hoc pro refutatione finali propositionum istarum Quesnellis. Juxta ipsius Prop. 5. *Quando Deus non emittit cor per interiorum unktionem gratiæ sue, exhortationes & gratiæ exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum: Si ergo Deus in veteri fœdere relinquebat hominem in sua impotentia, in sua infirmitate, non largiendo ei gratiam interiorem, Lex vetus, comminationes prophetarum, flagella Judæis immissa &c. non inservierunt nisi ad eos magis obdurandum: at hoc blasphemum esse in Deum, & ad Manichæorum, qui asserbant legem veterem a malo Deo esse, hæresim pertinere, quilibet facile perspicit. Nec juvat si dicas non negasse Quesnellum aliquos, puta, Moysen & Prophetas habuisse gratiam: id enim non sufficit: sed necesse est statueri, ut minimum, quod majori parti fuerit Lex observata possibilis: tum quia non minus repugnat bonitati Dei dare legem, quæ omnibus, quam quæ majori hominum parti sit impossibilis: tum quia, nisi hoc dicatur, verificari non poterunt, nisi ad ironiam cum Lutheri recurrendo, verba illa: (1) *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum. . . sed juxta te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, quæ ad torum Hebræorum populum dicta sunt: denique quia Lex dari, in bonum publicum, non in publicam perniciem, debet ut docet S. Th. 1. 2. q. 95. a. 3. Vide dicta a pag. 201. §. VI.**

## §. I I.

Propositio Quesnelliana, censura notatæ.

*Moyses & Propheta, Sacerdotes & Doctores legis morui sunt, absque eo quod ullum Deo dederint filium: cum non effecerint nisi mancipia per timorem. Est 65. Quesnell. Marci 12. v. 19.*

V. Subtiliter hic discurrit Auctor (2) *Theol. suppl.*: sed frustraneo labore, nihil suo clienti profuturo, occupatur. *Moyses, inquit, Propheta, Sacerdotes, legique Doctores, non modo veteris testamenti ministri erant, verum etiam novi; utpote Christi quoque prænuntii, fideique in illum habende prædicatores: quo titulo non Mosaycum tantum atque Leviticum munus obibat, sed etiam Evangelicum. Porro sicuti veteris Testamentum in servitutum generans, ut ait Apostolus ad Gal. 4. filios sua ipsius virtute Deo non peperit: sed accedente dumtaxat Spiritu novi, fideque in Christum venturum: ita Moyses, Propheta, Sacerdotes, Doctoresque, uti veteris testamenti ministri, filios Deo non genuerunt, sed uti novi; quatenus fidem in Christum Dominum prædicabant, ejusque Spiritum advocabant. Hanc doctrinam confirmat deinde S. Augustini verbis: (3) *Quibus aperte insinuat, prosequitur, S. Doctor Moysen uti veteris legis latorem, amplius nihil arrogare sibi posse, quam quod fecerit reos; non item quod a RE-ATU LEGIS homines solverit; quod fecisset utique, si Deo filios dedisset ac genuisset.**

VI. Sed ad quid hæc omnia, si non ostendatur una, Quesnellum nihil præter hæc docuisse: quod tamen Auctor ille facit minime? Sed video quid intenderit. Voluit nobis imponere onus probandi, Quesnellum longe aliud, quam hic expli-

catum sit, docuisse. Onus impositum libenter suscipio, & dico: propositionem hanc, sive in se spectata consideretur, sive ut cum aliis Quesnellianis connexa, hoc intendere: Quod Moyses & Propheta, Sacerdotes veteris testamenti, quocumque modo considerentur, nullum dederint Deo filium, cum non effecerint nisi mancipia per timorem.

VII. Id probo primo ex propositione in se spectata. Quippe propositio signo universalis negativo affecta est: *ABSQUE eo quod ULLUM Deo dederint filium: cujus etiam datur causa universalis: Cum NON effecerint NISI mancipia. Excluditur ergo quod Moyses & Propheta, sub quocumque respectu filios Deo dederint. Id magis apparebit, si jungantur huic propositioni ea quæ apud Quesnellum in libro *Reflex. Moral.* sequuntur. Sic enim lego in *editione latina 1695. Marci 12. v. 19. Solus ei (Deo) filios dedit. Jesus Christus, qui spiritum adoptionis filiorum, qui amor Dei est, attulit. Sed vel maxime dedit post mortem, & per fratres suos Apostolos: qui velut procuratores ipsius & Vicarii, Ecclesiam sibi, nomine ipsius, desponderunt. Ubi observanda antithesis inter Moysen & Prophetas ex ana; procuratores Christi atque Vicarios ex altera partibus: quæ nullatenus subsistit, si Moyses & Propheta, ut Christi ministri, fideique in illum habende prædicatores, filios Deo dederunt. Itaque juxta Quesnellum in nullo sensu Moyses & Propheta filios Deo dederunt: solus Christus, per se & Apostolos, illorumque successores, gratiam qua id fit, veniens in mundum, attulit.**

VIII. Quod si attendamus connexionem hujus propositionis cum aliis, longe id manifestius evadet. Enimvero, ut Moyses & Propheta Deo filios dare potuissent, tamquam Christi prænuntii &c. necesse fuisse ut illis venturum Messiam annuntiarent, Deus, intuitu Messie venturi, daret gratiam ad fidem necessariam. At hæc longe erat a veteri fœdere, in quo, uti asserunt *propp. §.* præcedenti expositæ, Deus relinquebat homines, in sua impotentia, in sua infirmitate. Rursus ergo juxta Quesnellum, Moyses & Propheta, sub nullo respectu, filios Deo dare potuerunt. Imo vero faciebant juxta Quesnellum, homines magis peccatores: quia per *propp. §.* in fine præcedentis §. repetitam: *Quando Deus non emittit cor per interiorum unktionem gratiæ sue, exhortationes & gratiæ exteriores, non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum: Moyses ergo & Propheta, per quos Deus non ministrabat nisi gratias exteriores, magis obdurarunt populum Hebræum, tantum abest ut filios Deo dederint: effecerunt mancipia per timorem, quo regnante in corde hominum, peccatur, sive faciendo malum, sive illud non nisi ob timorem evitando, ut habet *propp. 64.* Reos ergo fecit Moyses, nedum legis observanda, sed peccati: reos fecerunt Propheta suis prædicationibus terrificis: reos fecerunt Sacerdotes: id est, magis obdurarunt corda Judæorum in malitia; quam ad justitiam adduxerint. Atque hoc totum si bene attendatur, in Deum usque redundat, qui Moyses, Prophetas ac Sacerdotibus velut ministris usus est. Igitur juxta regulam nostram 1. & 2. justissime a Clemente XI. damnatæ sunt hæc propositiones. Hæc etiam confirmari possunt ex propositionibus sequentibus.*

## §. III.

(1) Lib. 3. ad Bonif. c. 3. (2) De grat. & lib. arb. c. 16. (3) In append. tom. 8. apud August. (4) 2. Mach. 12. (5) 1. 2. q. 98. ar. 2. ad 4. (6) a pag. 75. (7) 1. 2. q. 106. ar. 3. (8) Pag. 377.

(1) Deut. 30. (2) a pag. 78. (3) Ex Tract. 3. in Evang. Joan.